

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio de peccato seu blasphemia in spiritum
sanctum**

**Heerbrand, Jakob
Lucius, Wilhelm Friedrich**

Tubingae, 1585

Dispvtatio de peccato sev blasphemia in spiritum s.

[urn:nbn:de:bsz:31-128795](#)

DISPUTATIO
DE PECCATO SEV BLASPHE-
mia in Spiritum S.

Thesis 1.

 Autè admodum & circumspectè, cùm in concionib⁹ popularib⁹, tūm etiam in scho- lis, & cœtu eruditorum hominum, de hoc articulo & materia dicendum, & differen- dū: ne vila perturbatus conscientys, & mi- seris peccatoribus, desperandi præbeatur occasio: nēuè in tales inde incident temptationes, ex quibus possea difficulter amplius eluctari, aut erigi nunquam pos- sint: cùm à se peccatum illud, quod Christus in aeternum non remitti pronunciat, admissum esse putent.

2. De hoc peccato & Blasphemia Spiritus, Christus con- tra Phariseos & scribas, miracula à se ædita, Principi de- moniorum Beelzebub adscribentes, differens, & ab hoc con- uitio se vindicans, loquitur Matthæi 12. Marci 3. Lucae 11. in hec verba.

3. Omnia peccata, conuitia, & Blasphemie, quibuscunq; blasphemarint homines, & quicunq; dixerit verbum ad- uersus filium hominis, remittetur illi: at qui conuictum dixerit, & blasphemauerit in Spiritum sanctū, non remitte- tur illi, neg. in presenti seculo, neg. in futuro, vel, ut Marc⁹ loquitur, non habet remissionem in aeternum, sed obnoxius est eterno iudicio. Dicebant enim, Spiritum immundum habet, & per Beelzebub, Principem demoniorum, dæmonia ejicit.

4. Hoc peccatum, Ioannes Euangelista & Apostolus,¹ Iean viii:

A 2

vocat

Disputatio de peccato seu

vocat peccatum ad mortem, pro quo non vult, ut oret quis.

5. Hic verò initio, aureis litteris ista Christi verba, Omnia peccata & Blasphemiae, quibuscunq; blasphemauerint homines, & quicunq; dixerit verbum aduersus filium Hominis, remittentur illis, scribenda, & studiofissimè memori mente retinenda, & utrāq; quod dicitur, manu amplectenda sunt.

6. Ex quibus manifestum est, OMNIA peccata remitti hominibus. Nec ullum esse tam magnum, enorme, atrox, aut horrendum peccatum, quocunq; appelletur nomine, quod non remittatur verè penitenti, & credenti in Christum, per & propter ipsum, qui est nostra Iustitia, redemptio, propiciatio, satisfactio, salus & vita.

7. Hic enim est agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.

Iordan. 1. Hic est propiciatio non pro nostris tantum, sed totius mundi

2. Ioan. 2. peccatis. Hic est, de quo cecinit Psaltes, qui redimet Israël ex

Psal. 130. OMNIBVS iniquitatibus eius. Hic est, cuius sanguis nos

3. Ioan. 1. emundat ab omni peccato.

8. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut OMNIS qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

9. "Quisquis ergo penitenti corde & vera animi fiducia in Christum, ad Deum Patrem caelestem configuerit, is omnium suorum peccatorum, qualiumcunq; & quocunq; modo perpetratorum, etiam cum ex proposito contra conscientiam propriam peccauerit, remissionem consequitur. Iuxta illud:

Ezech. 18.33. Vt ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur impius à via sua, & vivat. Et: Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. OMNIVM iniquatum eius, quas operatus est, non recordabor amplius.

10. Sed non omnes peccatores resplicant, nec vera fide in Chri-

Blasphemia in Spiritum S.

Christum ad Deum conuertuntur, ut sanet eos. Ideo in peccatis suis multi moriuntur & pereunt. Sicut hoc loco Christus de Blasphemis in Spiritum sanctum loquitur.

11. Blasphemia autem in Christū, filium hominis est, cum homines ex ignorantia Christum, vel ipsius verbum, quae non agnouerunt, blasphemant. Ut cùm Iudei offensi humilii eius forma (qua in terris obambulanit, donec opus redemptionis generis humani perficeret) Messiam eum non agnouerunt, in eum non crediderunt, nec Euangelio eius fidem habuerūt, sed Blasphemauerunt, & persecuti sunt eum, & verbum eius ex ignorantia. Si enim cognonissent, Domini minum gloria non crucifixissent. 1. Cor. 2.

12. Sicut multi ex Iudeis, Scribis, & Phariseis, hoc modo offensi sunt, quemadmodum & Baptista discipuli initio, pluris Magistrum suum faciebant quam ipsum Christum, aequaliter ferentes, quod plures eum sequerentur, quam Ioannem. Vnde illis interrogantibus, num ipse esset promissus in lege & Prophetis Messias, respondet inter cetera: Et beatus, qui in me non fuerit scandalizatus. Matth. 11.

13. Et haec peccata sunt in filium hominis, ex ignorantia profecta. Sicut & Paulus Apostolus, qui antea Saulus, se Blasphemum in Christum fuisse affirmat, consequutum autem se misericordiam, quia ignorans fecerit. 1. Timoth. 1.

14. Porro de Blasphemia Spiritus alij aliter senserunt, variegj dubiae & ambiguæ, ut in re difficii & periculosa, fuerunt, & sunt, sententiae. Et timidè etiam, ac variè Patres quoq; (quos sic vocant) de ea sunt locuti.

15. Scholastici, Scotus & Gabriel sex numerant peccata in Spiritum sanctum, & inter reliqua, Desperationem de gratia & misericordia Dei, ut Cain, & finalem impenitentiam.

A 3

16. Qui-

Disputatio de peccato seu

16. Quidam sentiunt, quodlibet peccatum grane & e-
norme, quod praetextu careat, peccatum in Spiritum sanctū
esse & dici, vulgi more & usitata loquendi consuetudine,
quod excusationem non mereatur.

17. Ut quod Dauid, tot uxores habens, cum & plures alias
ei ducere liceret: tamen cum Bethsaba, uxore Vriæ Herois,
adulterium perpetrauit. Aut cum diues pauperi furto auf-
fert aliquid.

18. Verum hec, et si atrocias sunt, non tamen peccatum il-
lud sunt in Spiritum sanctum de quo Christus dictis ipsis
Euangelistarum locis loquitur, quod non habeat remissio-
nem in aeternum. Est enim saluatus Dauid, impetrata ve-
nia a Deo, qui abstulit ab eo peccata.

19. Qui ergo interpretantur, NON REMITTITVR,
pro eo, quod excusationem non habet, et si aliquid dicant, idq.
propter teneras & pauidas conscientias, metuentes ne blas-
phemauerint Spiritum sanctū, cum ab hoc peccato sint alie-
nissime: tamen non satisfacere videntur his Christi verbis,
qui simpliciter pronunciat, illud non habere remissionem &
quidem in aeternum. Sicut alia quoꝝ Spiritus sancti testi-
monia hanc interpretationem non admittunt i. Ioan. vlt.
Heb. 6. 10. de quibus infra.

20. Alij solam incredulitatem, peccatum esse illud in
Spiritum S. sentiunt. In hac enim perseverantes, remissio-
nem peccatorum non habere certum est. Et ad hoc redar-
Ioan. 16. quendum peccatum, Spiritus S. est Apostolis in die Pente-
costes datus. Sed abiecta incredulitate, multi per fidem ad
Christum conuertuntur. Quod factum est in die Penteco-
stes, & sit quotidie. Ideo incredulitas sola, peccatum illud in
Spiritū S. cuius, dictis locis Christus mentionem facit, nō est.

21. Alij abnegationem veritatis Euangelicae cognitae, pec-
catum

Blasphemia in Spiritum S.

catum illud irremissibile in Spiritum S. esse sentiunt. Sicut
& hac tentatione Franciscus Spiera Cittadellensis in ditio-
ne Venetorum, succubuit, in desperationem prolapsus, quod
agnitam veritatem Euangeli, metu periculorum ex infirmi-
tate, abnegasset, inedita se conficiens, nec ullā voluit admit-
tere consolationem, semper hoc Christi, obiciens: se abnega-
ta veritate, in Spiritum S. peccasse, ideoq; veniam se non pos-
se consequi, affirmauit. Atq; ita in summa desperatione perire
miserrime. Anno Domini 1548.

22. Sed idem admisit etiam Apostolus Petrus peccatum, ter-
tia vice turpissem, non solum abnegans, sed etiam cum di-
ris, Christum Dominū agnatum, abiurans, quem antea fue-
rat recte confessus: Tu es, inquiens, Christus filius Dei viui.
Et tamen non solum veniam est consecutus peccati & lapsus
sui horrendi, verum etiam à Christo metu muneris suo restitu-
tus, quo & probè functus, suoq; postea sanguine confessus &
contestatus est Christum, salutemq; consecutus eternam.

23. Quare recte ab Ecclesia damnat⁹ est Nouat⁹ hæreses,
quod lapsis in persecuzione, & casu confessionis, abnegata
veritate Euangelica, negauerit veniam.

24. Diuus Augustinus, alibi aliter de peccato in Spiritum
S. ex verbis Christi & Apostoli loquitur. Peccatum, inquit,
ad mortem est, cum post agnitionem Dei per gratiam Christi,
aliquis oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam,
qua reconciliatus est Deo, inuidie facibus agitatur, quod for-
tasse est peccatum in Spiritum S. Quod peccatum dicitur
non remitti, non quia non sit ignoscendum peccanti, si peni-
teat: sed quia tanta est labes peccati illius, ut deprecandi hu-
militatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala con-
scientia agnoscere & renunciare cogatur, ut Iudas, cū dixit,
peccauit.

August. lib. de
Sermo. Dom⁹,
in monte.

Disputatio de peccato seu

peccaui, facilius desperans cucurrit ad laqueum, quia in humiliitate veniam peteret. Quod propter magnitudinem peccati, iam ex damnatione peccati, tales habere credendum est.

Idem retract.

lib. 1. cap. 19.

25. Idem postea censet hisce verbis suis aliquid addendum: si scilicet in hac scelerata mentis peruerestate finierit hanc vitam. Quoniam de quocunq; pessimo in hac vita constituto, non est desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.

Idem in Expos. restat, nisi, ut peccatum in Spiritum S. quod neg. in hoc seculo, neg. in futuro Dominus dimitti dicit, Nullum intelligatur, nisi perseverantia in nequitia & malignitate, cum desperatione indulgentiae Dei? Hoc est enim gratia illius, & paci resistere, de quibus Paulus dicit, Gratia vobis & pax.

Mag. Sent. 27. Atq; ita varie se torquent Doctores, quod videre est
lib. 2. Distinct. & apud Petrum Lombardum. Dum enim vident Christi verba, OMNE peccatum & omnis Blasphemia remittitur hominibus: Blasphemia autem Spiritus, NON REMITTITUR: non ausi sunt ex, Non remittitur, facere, Remittitur.

28. Rursum vero ne negare viderentur remissionem omnium peccatorum post Baptismum lapsis, si affirmarent, Blasphemiam in Spiritum, non remitti.

29. Ideo, quod tuius esse videbatur, dixerunt: Hoc peccatum esse finalem impenitentiam & desperationem. De quo nemo ambigit, quod qui ita moriuntur, perpetuo sint damnati, nec ullam peccatorum habere remissionem.

30. Sed hoc modo nodus nondum est solutus, nec verbis Christi satisfactum de peccato in Spiritum S. quod nam illud sit, & quod qui admittunt, nunquam illius consequuntur remissionem.

31. Non

Blasphemia in Spiritum S.

31. Non enim questio est, nec disputatio: num aliquod sit
tamen enorme peccatum, quod paenitenti, & in Christum cre-
densi non remittatur. Cum nemo pius ambigat, gratiam
superabundare supra peccatum.

32. Sicut & Saluator ibidem pronunciat (ut supra dictū Supra s.
est) & affirmat: omnia peccata, & blasphemias, quibus ho-
mines blasphemauerint aduersus filium hominis, remitti. Ee-
samen addit: si quis autem conitum dixerit, & blaphe-
mauerit in Spiritum sanctum, non remittetur illi.

33. Certum est igitur, Christum singulare aliquid dicere,
de peccato peculiari, quod blasphemiam vocat in Spiritum
sanctum, de quo pronunciat, quod non habeat remissionem
in aeternum.

34. Hoc igitur explicandum est, & disserè docendum,
quod nam illud sit in Spiritum sanctum peccatum, quod non
remittitur. Et non de omnibus hominum peccatis, vel mul-
tis eius speciebus & blasphemis contendendum, num remis-
tantur. De hoc enim ex verbis Christi eodem loco, non dubium
est, quod verè & ex animo resipiscendi, inq. Christum creden-
ti, remittantur omnia.

35. Est igitur Blasphemia in Spiritum sanctum peccatum,
cum homo agnitam doctrinam & veritatem verbi & mi-
raculorum, seu operum Dei, de qua in sua conscientia con-
victus, nō solum abnegat, sed etiam reclamante conscientia,
impugnat, blasphemat, condemnat, & furenter persequi-
tur.

36. Dicitur autem peccatum in Spiritum sanctum, quia
opera miranda & stupenda, que Christus fecit, & doctrina,
quam proposita, opera fuerunt Spiritus sancti propria, per
quem, & cuius virtute ab ipso sunt adita.

37. Sicut ipse metu testatur, inquiens: si autem ego in digi-
B to, siue

Disputatio de peccato seu

to, sive ut *Mattheus* habet, in Spiritu Dei eiicio dæmonia. Item Magi Pharaonis, cōfiteri, nolentes volentes, cogebantur de miraculi per *Mosen* factis: *Digitus Dei* hic est. Similiter & *Christus* per *Spiritum sanctum*, eiusqz ministerio, verbum Dei, quod est veritas (*Ioan. 17. Sermo tuus est veritas*) nobis communicat. Vnde illud agnitus, postea conuiciantes blasphemare *Spiritum sanctum* dicuntur.

38. *Eius in historia Euangelica*, duæ proponuntur quasi species: Una est, calumnia impudens, & manifesta *Phariseorum*, qua miracula à *Christo*, diuina *Spiritus sancti* virtute, facta, impudenter calumniantur: per principem *Dabolorum Beelzebub*, edita esse blasphemantes.

39. Altera, quando agnita verbi Dei veritas, aut *Christus* fide agnitus, & adprehensus, abnegatur: Et non solum abnegatur, quod & à *D. Petro* factum est, sed & blasphematur veritas (quod à *Petro* factū non est) de quo peccato idem dicit *Saluator*: *Qui me negauerit coram hominibus &c.* ubi statim additur epexegisis loco: qui conuictum locutus fuerit in *Spiritum S.* non remittetur ei.

40. Sic *Pharisei*, de quibus *Christus* in hypothesi loquitur, peccauerunt blasphemia in *Spiritum sanctum*. Cum enim ex doctrina ipsius evidentia, tūm etiam ex miraculis stupendis, qua viderant, quot & qualia nemo unquam inter eos fecerat, in conscientia sua conuicti essent, diuina illa esse, & ipse promissus *Messias*, quia omnia in eum quadrabant, & implebantur, quacunqz de ipso oraculis Prophetarum erant edita & prædicta, nihilominus tamen & doctrinam & miracula eius, & ipsum blasphemare, adisse

Luce 12.

Blasphemia in Spiritum S.

odisse & persequi ad mortem usq[ue] furenter, non desisterunt
etiam postea.

41. Sic enim Nicodemus Princeps Phariseorum, non pro
sua tantum persona, sed etiam suorum collegarum nomine *Ioan. 3.*
fatetur, inquiens: Magister scimus, quia a Deo venisti do-
ctor. Nemo enim potest facere opera, quae tu facis, nisi Deus
fuerit cum eo.

42. Ipsi quoq[ue], licet non sincero animo, sed subdole, tamen *Matth. 22.*
conscientur: Magister SCIMVS, quia verax es, & viam
Dei in veritate dotes. Sicut & in Concilio suo contra Apo-*Apol. 4.*
stolos congregato, fatentur & dicunt: Quid faciemus homi-
nibus istis? Manifestum est enim signum, factum per eos, &
notum omnibus habitantibus Ierusalem, & NON POSSV-
MVS NEGARE.

43. Et tamen opera, & miracula ista, de quibus conui-
eti erant diuina virtute esse edita, blasphemant, dicentes:
In Beelzebub Princepe Daemoniorum facta, eaq[ue] persequun-
tur in Apostolis, quae negare se non posse fatentur, sed mani-
facta esse omnibus affirmabant.

44. Similiter cum Christus illis diceret: *Quis vestrum*
arguet me de peccato? Si autem veritatem dico vobis, cur
fidem non habetis mihi? Ibi responsant: Nonne bene dicimus:
quia Samaritanus es, & Daemonium habes? Quod proprium
est Spiritus sancti opus, id ipse blasphemari Diabolo ascribunt,
& diabolicam, mera petulantia & malitia diabolica, appell-
lant doctrinam, quam antea veritatem esse conuicti fuerant
confessi.

45. Vnde Saluator blasphemie eos conuincti, dicens: Ego
daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, &
vos inhonorisatis me. Amen Amen dico vobis &c. Item:

B 2

Si non

Ioan. 4.

Disputatio de peccato seu

Ioan. 15. Si non venissem, & locutus fuisset eis, & opera fecisset,
quenemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem
viderunt & oderunt me & Patrem meum.

46. Sicut hoc quoq; loco, Christus multis eos conuincit
argumentis, quod demones, digito, hoc est, virtute diuina
Spiritus sancti, ejiciat, & tamen ipsum blasphemant.

47. Quemadmodum furor hic planè diabolicus & blas-
phemia Spiritus, amplius apparet in Iudeorum pontificibus:
Quod cum custodes sepulchro Domini ab ipsis adhibiti (ne
forte corpus illius à discipulis afferretur) in urbem ad eos
redeunt, Christi ex mortuis annunciantes resurrectionem,
ibi odio perciti diabolico, ut veritatem agnitam obruant &
sepeliant, quantumq; in ipsis est, Christi gloriam opprimant,
& ex veritate faciant mendacium (quod itidem est diaboli-
cum) magna vi pecuniae numerata, illos corruperunt,
mendaciis instruunt & subornant, ut spargant discipulos
eius noctuvenisse, & dormientibus ipsis eius corpus furatos
esse.

48. Hæc non amplius humana, sed plus quam diabolica
sunt peccata, in rebus diuinis ita ludere, & Deum esse Diabo-
lum, ac Spiritum sanctum immundum esse Spiritum, blas-
phemare.

49. Hoc enim idem Diaboli fuisse peccatum putatur: quod
filium Dei agnatum contempserit, oderit, seq; admiratione
sui, ipsi prætulerit. Ideoq; de cælo deiectum, inq; infernum
absg; villa spe venia precipitatum.

Iere. 44. Tales fuerunt blasphemi Iudæi tempore Ieremie, à
quibus in AEgyptum est abductus Propheta, in faciem illi
dicentes, sermonem, quem locutus es ad nos, in nomine Do-
mini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne ver-
bum, quod egreditur de ore nostro, ut sacrificemus reginae
cali.

Blasphemia in Spiritum S.

cœli, & libemus libamina ei, sicut fecimus nos & Patres no- Salve Regina
stri in urbibus Iuda, & in plateis Ierusalem, & saturati su- cœli.
mus panibus & benè erat nobis, malumq. non vidimus. Ex
eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare regina cœli, & Abrogatio
libare ei libamina, indignimus omnibus & gladio & fame Messie.
consumpti sumus.

51. Sed respondet Propheta ex oraculo, hanc ipsam eorum
Idolatriam causam esse omnium istarum calamitatum, ad-
dita pena denunciatione: Quod Deus per nomen suum san-
ctum iurauerit, hoc peccatum non dimittendum esse illis, sed
illos omnes sc̄a sua facie abiecturum, illisq; pereundum esse.

52. Tales sunt hodie Pontificis Theologi multi, Iesuite,
in primis antesignani, qui non adeo stupidisunt & plumbi,
ut maximè cœti, ut nō videant nec intelligent, crassissimos
Papatus errores, qui nullum prorsus in sacra Scriptura funda-
mentum & testimonium habent, sicut cum in disputati-
onibus subinde urgentur, ut vel unico Scriptura testimonio
in genuino sensu produc̄to, errores & opiniones suas, (quas
tamen mordicus retinent & defendere conantur, pro iisq;
tanquam pro aris & foctis pugnant) probet & confirmet, ta-
men non possunt, & non solum ijs se destitui vident, verum
etiam cum ea ex diametro, & plus quam dñs dñc tñc wñ pug-
nare: & tamen blasphemare non cessant, non secus ac illi.

53. Ut quod contra consensum catholicum Ecclesia uni-
uersalis omnium temporum, veteris & Novi Testamenti Pro-
phetarum omnium, Christi & Apostolorum in sacra Scri-
ptura illustribus testimonij expressum, fideiq; analogiam,
doctrinam de gratuita, per solam in Christum fidem, iusti-
ficatione, non solum negant, sed damnant, blasphemant,
anathematizant, heresin esse proclamat, furenterq; perse-
quuntur.

Disputatio de peccato seu

Act. 4. 10.

Ibidem 15.

54. *Huic (Christo inquit Petrus) testimonium perhibent omnes Prophetæ, remissionem accipere peccatorum per nomen eius O M N E S, qui credunt in eum. Hocq; modo saluatos omnes pios ante Christi aduentum in concilio Apostolorum pronunciat idem. Quod D. Apostolus Paulus multis docet: Rom. 3. 4. Gal. 2. 3. 4. Ephes. 2.*

55. *Contra hæc, isti, stultæ sua vota monasticatria, & iam Esauitarum quatuor, & ordines monasticos ab ingenio hominum excogitatos, à quibus etiam sua nomina sunt sortiti, statum vocant perfectionis (qui defectionis est & a two-
sacredos à Christo Iesu turpissime) in quo tot bona super-
erogationis facere se opera, mentiuntur contra Scripturam & suam propriam conscientiam, ut non sibi solum, corumq; autoribus, ad vita eterna meritum sufficient, sed etiam alijs precio vendant, qui questus longè fuit uberi-
rimus.*

Fr. Petrus à So-
to in sua Catho-
lica confess. con-
fessando obtrudere

Etiam obtrudere

& venditare speciosis istis, sed falsis laudi-
bus, ut merces suas putridas & putidas suas nugas vendant:

bergicam.

56. *Et etiamnum hodie in tanta verbi diuini luce, &
hoc seculo oculatissimo, non erubescunt fumos suos orbis Chri-
stianorum confessio-
nem, & venditare speciosis istis, sed falsis laudi-
bus, ut merces suas putridas & putidas suas nugas vendant:
ergicam. Virginitatem maximam esse peccatorum satisfactionem &
meritum vita eterna docentes.*

Esa. 63.

1. Timoth. 2.

Hob. 10.

57. *Quæ blasphemia est manifesta in Spiritum sanctum,
& contumeliosa in passionem, sanguinem & meritum Chri-
sti, qui solus haec nobis meruit. Qui torcular solus calcauit
& non homo de populis cum eo. Unicus Mediator & propi-
ciator Dei & hominum. Qui unica oblatione consummavit
in æternum sanctificandos.*

58. *Qualis blasphemia est VVilhelmi Lindani Episcopi
Ruræmundensis, qui inflatus opinione nescio cuius transma-
rina eruditioris, cum non nihil prater aliorum multorum
Episco-*

Blasphemia in Spiritum S.

Episcoporum morem, literis videatur sibi tinctus, hocq; no-
mine supra modum sibi sapere, adeo, ut etiam Imperatori
consilium subjcere ausit, quo collapsum in Germania Papa-
tum instaurare possit, scilicet. Is ergo ore blasphemio horren- Concordias sua
dam hanc blasphemiam in nostram, quam profitemur (quæ discordi fol. 2.2.)
tamen non nostra est, sed Spiritus sancti) doctrinam & con-
fessionem atq; Ecclesiam nostram, euomere non est veritus: «
Confessionem Augustanā nostram, semichristianam esse. Et «
Ecclesiam Principum & ciuitatem Protestantum Semichri- «
stianam, Synagogam Diaboli, & indubiam Antichristian- «
teambulonem.

59. Quam contumeliosam blasphemiam, nostræ confes-
sioni, Principibus nostris, & Ciuitatibus, Augustanam con-
fessionem amplectentibus, nemo ad huc iſtorū, quantumuis
impudens Monachus, Jesuita, Sacrificulus, aut ordinis Pon-
tificij, impingere ausus est, & maior decuisset Episcopum mo-
destia, sed blasphemia istam à Diabolo excogitatam, nec ipse,
nisi ex eodem autore proferre & scribere potuit. Et ex hoc eo-
dem cum suis maioribus, Scribis, Pharisais & Pontificibus,
Christum blasphemare & dicere: nonne bene dicimus, quod
Samaritanus & Daemonium habes.

60. Sic non alij pauci, obscuri, vel indocti Idiotæ, simpli-
ces, sed summus Pontifex Ecclesiæ Romanae, & cum eo Syne-
drion & Conciliū totum acumenitum generale Constantia Concil. Con-
legitime in Spiritu congregatum, agnoscent & palam faten- stant. Sess. 23.
tur, Christum, integrum Cœna sua venerabile Sacramen-
tum, sub duabus speciebus, panis & vini instituisse & sic di-
stribuisse suis discipulis, & in primitiva Ecclesia ita fuisse sub
utraq; specie suscepimus: sed tamen hoc non obstante, à Laicis
porro tantummodo sub specie panis, ut suscipiantur, statuerunt
& decreuerunt. Hac enim decreti verba sunt.

61. Hac

Disputatio de peccato seu

61. Hec sacrilega est, ut Paschalis Papa loquitur, immo plus quam diabolica (quod fortasse Diabolus ipse facere non auderet) integra Cœnæ Dominica mutilatio a mortuorum aliens facta, non ex ignorantia profecta est, quod fatentur ipse, sed ex malitia diabolica agnitam veritatem non solum negantes, sed quod plus est, re ipsa plane abrogantes, damnantes, persequentes, plurimumque sanguinis, & tum, & posterius, propter hoc effundentes, suum ut mendacium, sacrilegium & in sanguinem Christi quo redempti sumus, blasphemiam stabilirent.

62. Sicut blasphemiam addunt, auditu horrendam, planeque diabolicam, ibidem in hac verba: Disentes autem, hoc esse sacrilegum, tanquam heretici arcendi sunt. Et sub pena excommunicationis effectualiter grauiter puniendi, qui communicando populum, sub utraque specie panis & vini, fuerint exhortari.

63. Hostes hi sunt & persecutores Blasphemi, agnites veritatis quam etiam simul confessi sunt, Testamentum Christi Domini Salvatoris nostri unici violantes, sanguinemque eius preciosum pedibus concultantes, uniuersam Christi Ecclesiam thesauro preciosissimo, quo redempta & mundata est, spoliante. Quomodo igitur ignem gehenna inextinguibilem effugerent, cum agnitam veritatem non solum abnegauerint, sed Blasphemant & persequantur crudelissime, ac contra Spiritum sanctum furere non desinant? De quo postea plura. Prius enim alia quoque, non minus blasphemant, istius cœtus in medium producenda, ut manifestè appareat, eos insensum reprobum datos, & peccati in Spiritum S. reos esse.

64. Divinae Majestatis consilio immutabili Decretum est publicatum: Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adi-

Blasphemia in Spiritum S.

ei adiutorium, quod circa ipsum sit. Syricus Papa Rom. & post eum Hildebrandus, furore proflus satanico, à Diabolis impulsu, Manifestam hanc veritatem, quæ est in confessio, non solum verbis & factis abnegauerunt, sed blasphemant, crudelissimisq; & seuisimis persecutionibus furenter cum suis successoribus nihil reliquum facientes, euertere haec tenus sunt conati, modò suum Deo contrarium, Diabolicum decre-
tum & edictum, de coniugij Sacerdotalis prohibitione, per-
petuog, illorum cælibatu stabiliant, & exequantur, dicentes:
Non est bonum homini Spirituali esse coniugem, ideo etiam non esse illi faciendum, sed adimendū adiutorium. Et quod bonum sit illi esse solum. Nam qui in carne sunt, Deo place-
renon possunt. Et quia ipsi Templum Domini & sacraria Spiritus S. dici & esse debeant, indignum eos est cubilibus & immundicijs deseruire. Destinat. 28. cap. 3. Et idem Sy-
ricius Papa Epist. 4.

65. Ideoq; distraxerunt coniuges pios & sanctos, omnia scandalis, confusionibus & persecutionibus replete: quo docerent, se non tantum in Verbum & ordinationem Dei esse blasphemos, sed & Antichristos se demonstrarent, & doctrinas Dæmoniorum proponere quorum nota est prohibi-
bitio nuptiarum. 1. Timoth. 4.

66. Quare non amplius Christiani, nedum Sacerdotes Domini, multò verò minus Pontifices Ecclesie Christi, sed planè Diaboli sunt incarnati (quo nomine etiam publicè est In actis & artic- insignitus Papa Ioannes XXIII.) Diabolico more & ore, blas- cultis ipsi obice- phemare contra Deum coniugij authorem & veritatem ag- etis: vide acta nitam, quod non cessant: Minus peccare Sacerdotem scor- Concilij Con- tantem & adulterantem quam propriam habentem uxori- stanensis.

C stè vi-

Disputatio de peccato seu

ſtè viuere & castè volentes, abyciunt, damnant, dirisq; de-
uouent & persequuntur.

67. Tales sunt etiam, qui consentiunt, & hec approbant,
rei malorū iſtorū & blasphemiarū omnium. Matth. 23. Ro. 1.

68. Cū ab initio Sathan cūdere vellet dogma hoc, & de-
cretum iſtud Diabolicum de prohibitione coniugij Sacerdo-
tum, illudq; in Ecclesiam inuehere machinaretur, in primo
vniuersali Niceno Concilio: ibi Paphnutius Martyr, licet
Nuptiarum ipſe expers, rectè tamen, & ex Spiritu sancti il-
lustratione restitit, Patribusq; persuasit, ne tales promul-
garent Legem, grauem futuram ipſis, eorumq; iugalibus for-
nicationis occasionem, Castitatem esse dicens, concubitum
cum propria uxore. Synodusq; laudauit ipſius sententiam
& nihil ex hac parte sanciuit, &c.

69. Hic manifesta veritas, & doctrina Spiritus sancti,
est in Concilio iſto (quod Euangelio equiparant) non ſolum
proposita, ſed & agnita & approbata.

70. Et quod amplius est, in medio deniſiſimārum Papatus
Antichristiani tenebrarum, in Concilio Basiliensi, publicè
in confeffu Patrum, à quodam illorum dictum est: Forſitan
non eſſet peius, Sacerdotes quam plures uxorari, Quoniam
multi ſaluarentur in Sacerdotio coniugato, qui ſterili in
Presbyteratu damnantur.

71. Hac agnita eſt, propria ipſorum confeffione, Veritas,
in Verbo Dei patefacta, & proposita, in Concilijs approbata,
quam etiam nūm hodie pleriq; Pontificij omnes summi & in-
ſimi ordinis homines agnoscere & fateri coguntur: & ta-
men blaſphemare, impugnare & persequi ubiung, & quo-
modocunq; poſſunt, imo etiam crudelissime propriea inno-
centes & honestos maritos occidere, contra propria conſien-
tia teſtimonium, pergunt.

72. Idem plane iudicium eſt, de mortuorum hominū in-
HOCA-

Hift. tripart.
lib. 1. cap. 14.

Aeneas Sylvius
qui poſtea Papa
Pius II de geſtis
Concilijs Basil.
lib. 2.

Blasphemia in Spiritum S.

uocatione Idololatrica, de qua nullum extat in tota Sacra Scriptura Canonica verbum, aut mandatum Dei, nullum exemplū, nulla exauditionis promissio (de quibus tanto tempore, toties admoniti à nostris, magis muti sunt quam pīces) sed planè contrarium: Non habebis Deos alienos coram me.

Dominū Deū tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Deum autem *Luc. 11.*

Patrem in nomine Mediatoris Iesu Christi inuocare ab ipso *Esa. 64.*

Saluatore iubemur: Si vultis orare, dicite: Pater noster. Et disertè Sanctos hac vita functos nos ignorare Sacra testatur Scriptura. Nec humana audacia cult⁹ in Ecclesia instituēdos.

73. Quod antesignanus, ipsorum & Pontificiorum errorum patronus acerrimus & doctissimus, confessus est: nullum in *Coloſſ. 2.*

Sacra Scriptura extare testimonium, quo mortuos Sanctos inuocare doceamus. *Ioannes Ecclesiā in suo Enchirid.*

74. Sed Iudeorum veterum blasphemiam (de qua supra 50.) hodie repetunt, imō longè superant Pontificij, veritatem Verbi Dei agnitam, quam etiam farentur, & lucem clarissimam, qua cæca illorum corda feriuntur & illustrantur, negare non possunt: & tamen amplecti eam non modo non volunt, sed magis diligentes tenebras, pedibus conculcant petulant, blasphemant, anathematizant, hæresin proclaimant, crudelissime deniq; persequuntur. Sicut supra 60. propositione blasphemum ipsorum decretum, contra agnитam veritatem, quam etiam fateri claritas eos coēgit, proposuimus.

75. Hoc enim ibi volunt, seu ut magis propriè loquamur blasphemant, Patroni decreti istius blasphemii, de mutilatione integri Sacramentii: cùm dicunt, Licet Christus sub utrāq; specie panis & vini, venerabile hoc Sacramentum instituerit, &c. Tamen hoc non obstante, &c. hoc inquam volunt dicere. Quid nos curamus Christum? Quid eius Testamentum? Hæreticus esto excommunicatus, igni comburendus, quicunq; eius institutionem obseruauerit.

Disputatio de peccato seu

Neg, verbis hæc tantum profitentur palam, sed faciunt & exequuntur ea, ubiung, possunt, præsertim in exteris regnis & prouincys.

76. Hac nisi ita descripta extarent, & praxis Romana Ecclesie id doceret: nemo in animum inducere posset fieri à sa-
nis hominibus posse, quæ diximus, & fidem superarent.

77. Quod si verò heretici sunt & excommunicati, qui
hanc Christi institutionem seruant, ergo heres is est ipsa Cœ-
ne à Christo facta institutio, & multo magis Christus illius
author, Hereticus, secundū istos, censendus, damnandus &
anathematizandus erit. Quia necessariò ex illis præmissis
& sponte confessis & concessis sequuntur.

78. Et si autem dominari in conscientias illorū nolumus,
& iudicemus nō omnes Pontificios Doctores, præsertim apud
exteras nationes, peccatum blasphemie in Spiritum sanctū
committere, sed ex ignorantia blasphemare: Certum tamen
& hoc est, multos manifesta doctrina nostra veritate con-
uictos esse in suis conscientiis, & tamen nihilominus eam
oppugnare & blasphemare agnitam, sicut iam de Iudeis di-
ctum est propositione 73. & supra 50.

79. Hac non amplius humanas sunt peccata, sed prorsus
Diabolice blasphemie, similes Pharisæorum, Christum bla-
phemantium & dicentium: Nonne benè dicimus nos, quod
Samaritanus es, & Demonium habes?

80. Hac verè Diaboli Synagoga est blasphema, Et non
anteambulone tantum Antichristi, sed Antichristus ipse
eiusq; regnum. Quibus Epithetis olim Imperii Romani, &
Episcoporum Italiae, Gallie & Germaniae decreto, Romanus
Pontifex Ioannes XXII. est insignitus, declaratus & procla-
matus à Ludouico 4. Imp. Ideoq; certa & iusta est, catus istius
Pontificii, atq; Synagogæ Diabolice, condemnatio, quæ iusto
Dei fili

Blasphemia in Spiritum S.

Debet iudicio. Non enim conuertuntur, sed subinde & quotidie se deteriores fiunt, nec sinit eos ultro quiescere.

81. Et hoc est, quod de peccato isto blasphemia Christus in tribus pronunciat Euangelistis: Quod non remittatur, neg, in hoc, neg, in futuro seculo. Quod Marcus interpretatur & reddit: Non habet remissionem in aeternum, sed obnoxius est aeterno iudicio, qui illud admittit. Nec enim unquam redeunt tales, ut conuertantur et resplicant: & ideo etiam remissionem non habent in aeternum.

82. Hoc fulmen est omnium horribilissimum, quod in agnitam veritatem blasphemantes (nam qui ex ignorantia blasphemant, ut Saulus ante suam ad Christum conuersationem, non sunt ei obnoxii) torquetur hic a Christo, cuius nullum simile, in tota Sacra Scriptura ab illo missum, legimus.

83. Loquitur igitur Christus, de singulari quodam peccato, blasphemia scilicet Spiritus sancti, Quod est agnita veritatis, non simplex aut nuda abnegatio, sed cum blasphemia & impugnatione, coniuncta.

84. Hoc non remitti salvator pronunciat, quia non redeunt isto modo peccantes, nec humanum amplius, sed Diaboli cum planè est peccatum.

85. Sicut ergo Diaboli non redeunt ad Deum, nec paenitentiam de suo agunt peccato: verum hostes Dei & humani generis, Deum odisse & homines furenter pergunt: ita & isti Diabolorum socii facti, non resplicant.

86. Cum igitur Christus dicat, non remitti illud, non dicamus nos, Remittitur.

87. Hinc vero minimè sequitur: Christum non pro omnibus totius humani generis peccatis satisfecisse.

88. Firmiter enim credimus & constanter afferimus, sufficienter ipsum satisfecisse pro omnibus totius mundi peccatis.

Disputatio de peccato seu

peccatis. Sicut recte veterum quidam dixerunt, unicam etiam sanguinis Filii Dei guttulam, sufficiens fuisse à virtute pro totius mundi peccatis.

89. Omnia itaq; peccata, nullo prorsus excepto, resipiscitibus, inq; Christum credentibus, remittuntur. Iuxta Scriptura Sacra testimonia supra s. 6. 7. 8. 9. & aliis commemorata, etiam si nō omnes, & singuli, suorum consequantur veniam delictorum. Quod nō omnes & singuli vera fide remissionem illorū apprehendant, sibiq; applicent, tamen alii qui ex omnis generis peccatorib; cōvertuntur & saluantur.

90. Sed dicto isto modo peccantes, non resipiscunt, nec per pénitentiam ad Deum redeunt, ut conuertantur & viuant. Sicut & Apostolus ait: Hæreticum hominem post unam arg; alteram admonitionem decuit, sciens, quod enersus est talis, & proprio suo iudicio condemnatus. Conuictus scilicet in conscientia de veritate, cui tamē cedere & locū dare nō vult.

Heb. 6. 10. 91. Impossibile enim est, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cælesti, & participes facti sunt Spiritus sancti, & gustauerūt bonū Dei Verbū, virtutesq; seculi venturi & prolapſe sunt, rursum reuocari ad pénitentiam, rursq; crucifigētes sibi met ipsi filiū Dei, eūq; ostentui habētes.

92. Quæ verba nō de quolibet peccato, etiam contra conscientiam admisso, sunt accipienda. Hoc enim modo etiam David peccauit, sciens, volens, ex proposito (cum nō ignoraret homicidium esse à Deo in Decalogo prohibitum, adulterium turpe esse peccatum) Sed acta pénitentia ad Deū rediit, reuocatus p Prophetam Nathan, eternamq; est cōsecutus salutem.

93. Nec etiam de quauis agnitiō veritatis Euangelice abnegatione sunt intelligenda. Hoc namq; modo D. Petrus quoq; Apostolus, Christum agnatum abnegans, peccauit: Sed acta pénitentia restitutus est.

94. Pariratione in primitia Ecclesia in persecutionibus
sanissi-

Blasphemia in Spiritum S.

seuissimis, multi agnitam veram & sinceram doctrinam cœlestem & religionem Christianam, quam amplexifuerant, ex infirmitate abnegarunt, & prolapso sunt. Sed tamen eorum multi postea redeuntes ad Ecclesiam, magno consensu Doctorum, in eius communionem, post actam ab eadem prescriptam paenitentiam, cum gaudio sunt recepti.

95. Sed loquitur ibi author Epistola illius, de in Spiritum S. blasphemia, & iis Apostatis, qui veritatem Euangelii vere agnouerunt, indeq; veram & firmam percepérunt consolationem. Postea verò scientes, volentes, non coacti, sed sponte sua, ex mera petulantia & malitia Diabolica, propter opes, dignitates, & opimas præbendas, vel alia quadam spe adducti, voluntariè prolabuntur, ut non solum agnitam abnegent veritatem, verùm etiam calumnientur, blasphemant & perseguantur (Qui summus est in hac peccati specie gradus, ad quem Pharisei illi, quibus cum Christo fuit negotiū, non ascenderunt) postea iusto Dei iudicio in sensum reprobū traduntur, ut nō redeant p paenitentiā, sed sic ppetuo pereant.

96. Sermo ergo authori Epistole ad Hebraos est de perfidis Apostatis, qui voluntaria defectiōne, ex Confessoribus Euangelii, hostes sunt & blasphemati, quales multos nostra vidit etas. Tales nunquam redeunt, sed aut in contemptum Dei Epicuriūm incident, & contra conscientiam Euangelii doctrinam sinceram & à se cognitam blasphemare & perseq; nō desinunt, aut in desperationē ruunt, tandemq; miscrè pereunt.

97. Ut Staphylō, Flasch, Christianus (minime Christianus) Franck & horū similes quam plurimi. Imprimis Adam Neuserus Zinglianus, ex verbi Ministro, factus Apostata, postea penitus ad Turcos defecit, Alchorani deliria & blasphemias amplexus, stipendia meruit Constantinopoli. Cumq; vita si nem ex dysenteria instare intellexisset, cū sui similibus, viuose ingurgitauit, ut hoc modo conscientiā spirat et sepeliret

Hocq;

Disputatio de peccato seu

Hocq; modo ex desperatione, in Epicuræ securitate, vitam miser cum morte commutauit, utramq; amittens, præsentem, & futuram.

98. Longè itaq; grauius & horribilius hi peccant Apostata, quām olim tempore Christi, Iudei, Pharisei, Scriba & Pontifices, miracula ipsius et doctrinam calumniantes. Quia etsi in conscientia sua conuicti essent de veritate, diuina esse illa: non tamen gustauerunt donum cælestis, & bonum Dei verbum, neq; participes facti erant Spiritus sancti. Sed tantum cognoscebat ista, ut in suis conscientiis conuincerentur & essent inexcusabiles. Sicut à lepra mundatis à se præcepit Christus: Ite, & ostendite vos Sacerdotibus, & offerte munus quod præcepit Moses, in testimonium ipsis. Et tamen de his pronunciat Saluator, non remitti illis.

99. Hoc eodem modo peccant cum Iudeorum Phariseis & blasphemant veritatem verbi Dei agnitam, multi Pontificii Doctores. Qui etsi fortè nullum percepérunt gustum Euangelicæ doctrinæ suauissimæ: tamen errorum suorum crassissimorum, ita à nostris sunt conuicti, ut conscientia mala contra nos pugnat, quod se in defensione cause sue pessime, Scriptura Sacra authoritate & testimonii desirius videant, ut de mutilatione integræ Cœnae Dominicæ, inuocatione mortuorum, prohibitione coniugii Sacerdotalis demoniaca.

100. Atrocius autem multò peccant qui agnita veritate, à nobis deficiunt ad Papæ Synagogam, propter amplias & splendidias conditiones, dignitates, præbendas opimas, Canoniciatus, Preposituras, &c. Ideoq; etiam longè maius accipient iudicium, cum Iuda proditores agnita veritatis facti.

101. Quod si quis contra hoc obiiciat: An non enim
Christus

Blasphemia in Spiritum S.

Christus sua obedientia, omnis generis peccata expiavit, originale, & quæ inde sequuntur, Actualia omnia, ergo etiam blasphemie hoc peccatum. Et per consequens, non est irremissibile sua natura.

102. Respondeo, quod saepè in precedentibus est dictum, & de industria repetimus, premium redemptionis quod Christus persoluit, omnino est sufficiens, ut pro alijs omnibus, ita pro hoc quoq; peccato blasphemie: sed qui hoc modo peccant, & blasphemisunt insanguinem Christi, non redent per paenitentiam ad Christum. Ideoq; etiam remissionem illius non consequuntur.

103. Verum hoc idem, de reliquis quoq; peccatis dici potest: quod qui non resipiscunt, non consequantur illorum veniam. Sicut Apostolus, postquam recensuit varia peccata, addit: Quæ qui faciunt regnum Dei non possidebunt, nec partem in illo habent. Et sic nihil peculiare hic à Christo de singulari blasphemiæ peccato dici videtur, cum inquit: non remittetur illi nec in hoc, nec in futuro seculo. Cum tamen distinguat inter peccata, non solum alterum altero esse gravius: sed illa, quæ in filium hominis committuntur, remissionem habere: quæ verò in Spiritu sanctū, non remitti afferens. Videtur itaq; hoc propter sui magnitudinem, vel ut Augustinus loquitur: Quod tanta illius sit labes & magnitudo non posse remitti, & sic sua natura esse irremissibile.

104. Respondeo, hoc quod postremo dicitur, non solum auditu absurdum, sed etiam dictu horrendum, adeoq; in sanguinem, meritum, obedientiam & passionem filij Dei incarnati, blasphemum. Quomodo enim Maxima illa in Theologia apud Paulum: Gratia superabundat supra peccatum, haberet locum? Et quomodo verum esset, quod alius Apostolus de Christo dicit: Ipse est propiciatio pro peccatis,

D non

Disputatio de peccato seu

non nostris tantum, sed totius mundi? Item: Ipse redimes Israël ex omnibus iniuitatibus eius. Cum igitur hoc quoq; blasphemie peccatum, unum sit ex mundi peccatis: ergo pro illo quoq; Christus satisfecit. Aliás verum esset, quod Cain dixit: Maior est mea iniquitas, quam ut veniam consequar, & remitti poscit. Vbi rectè respondet Augustinus: Mentiris Cain, quia maior est Dei misericordia, quam omnium peccatorum miseria.

105. Sed contra Christus ipse affirmat, non habere remissionem. Ergo adhuc videtur, sua natura esse irremissibile, quod nulli remittatur.

106. Respondeo. Ideo non remitti: quia abiiciunt Christum salutis authorem unicum, & ad eum non redeunt, & sic remedia à Deo oblata respunt blasphemi. Sicut homo lethaler agrotans, dicitur non posse sanari, quia omnem Medicorum operam non modo neglit, sed contemnit, Medicinasq; abiicit & respuit.

107. Aliud autem est prorsus remitti non posse, vel sua natura esse irremissibile, quod negamus: Aliud remissionem non consequi, quod affirmamus. Et hoc dicit Christus, illud verò non dicit.

108. Sicut alia quoq; peccata omnia, remitti quidem possunt, nec tamen omnia omnibus remittuntur. Quia multi propter peccata sua damnantur. Id autem non tam sit, quia peccauerunt (peccant enim omnes omnino homines) quam quod non resipiscant, nec in Christo querant, & credant remissionem peccatorum. Idq; sua culpa. Hi impenitentes agnoscent se peccare, ut fures, adulteri, tempus tamen emendationis extrahunt, existimantes, se posse adhuc inuenire tempus consequendi veniam delictorum. His similes sunt ijs agrotantibus, qui Medicinas non omnino contemnunt, sed earum

Blasphemia in Spiritum S.

earum usum cum periculo extrahunt, qui ab amicis moniti,
parere solent, & illi peccatores non repudiant veritatem,
nec abjiciunt remedia, multò minus persequuntur, sicut in
Spiritum sanctum peccantes.

109. Videtur autem tamen adhuc sua natura esse irre-
missibile hoc blasphemia & peccatum, quia nulli unquam re-
mittitur. Cum aliis modis quibuscumq; peccantes, ut supra
88. dictum est, veniam consequantur.

110. Respondeo: Non remitti illud, non quod sua natura
sit irremissibile, aut quod Christus pro illo non satisfecerit:
sed quod qui illud admittunt, non redeant per pénitentiam
ad Christum, qui filium Dei concilauerint, & sanguinem
Testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt, &
Spiritui gratiae contumeliam fecerint.

111. Nam cum nulla sit alia pro peccatis hostia reliqua,
quam Christus, qui factus est pro totius humani generis pec-
catis, victrix, nostraq; iusticia, hunc vero nolint blasphemare
isti, fide amplecti, sed agnatum a se, Salvatorem unicum,
abnegant, Apostatae turpisimi, & impugnant: Quid mi-
rum est, eos remissionem non consequi peccatorum in eter-
num?

112. Cumq; spes veniae alia nulla sit, quam in Christo,
hunc vero fide nolint amplecti, sed agnatum abnegant, abi-
ciant, a se repellant, blasphemant, quomodo peccatis remisssis,
saluari possent? Hoc enim esset absq; Christo, imo contra
Christum, saluari. Quod plane absurdum, ridiculum, impossibi-
le, cum nulla sit alia salutis ratio, aut victrix pro pec-
catis.

Acto. 4.

113. Quare, quod hisoli, & hoc solum modo peccantes
pereunt, & per pénitentiam non redeunt, culpa non est in

Disputatio de peccato seu

Christum transferenda, quod dicat scilicet, non remitti illud, quia omnia remittit peccata paenitentibus, & in se credentibus. Sed quia, ut dictum est, a se agnatum repellunt, ab eoq[ue] deficiunt, blasphemant, impugnant, persequuntur.

114. Sicut fecit Iudas proditor, de quo Christus in Psalmis, & in postrema Cena conquesitus est grauissime. Qui nemine eum non modo non cogente, sed Christo Domino ipsum sepius grauissime dehortante, agnatum, in mortem tradidit.

115. Tale fuit peccatum & Scribarum, Phariseorum, & Pontificum, qui prorsus noluerunt eum, tot coniuncti argumentis, recipere, sed tanquam blasphemum, demoniacum, seditiosum in crux egerunt.

116. Quale etiam est Pontificum Romanorum, Scribarum, Iesuitarum, quicunq[ue] contra conscientiam manifesta & agnita veritati resistunt, meritum Christi, eiusq[ue] Sacrifictium unicum propiciatorum oppugnant, de quibus supra 52. & multis sequentibus est dictum.

117. Apud istos ergo blasphemos homines, qui veritatem agnouerunt, & tamen nihilominus furenter blasphemare pergunto, sicut veteres & Novi Pharisaei, Doctores Ecclesiae Pontificia praeceps, dico, eorumq[ue] similes, nulla est resipiscientia, quam Dei longanimitas, ut tum quadraginta ita iam annis ab instaurata religionis sincera doctrina 68. frustra expectat.

118. Sed omnes adhuc, quantumuis absurdos, crassos, manifestos, adeoq[ue] palpabiles, etiam agnitos, quos partim confessi sunt ingenuè, errores, multiplicem Idolomaniam, dogmata prauissima, peruersissima, atq[ue] in sanguinem Christi blasphema, mordicus retinent, eaq[ue] non solum excusare, licet frigidè id faciant, sed etiam absq[ue]ulla Scripturae Sacrae autoritate

Blasphemia in Spiritum S.

ritate & testimonio, imò contra haec defendere, & Ecclesia
in tanta Verbi Dei luce obtrudere conantur.

119. Nulla etiam habita ratione, quod interim tories
sint admoniti, conuicti etiam illustribus Sacra Scriptura te-
stimonij, addo & toties à summis Christiani orbis Monar-
chis, Impp. Romanis Optimis rogati, sacrilega & blasphemia
ista Cœnæ Dominicæ n. utilitatione abrogata, integrum eius
vsum, iuxta Salvatoris & Domini omnium institutionem,
& Apostolorum atq. primitiæ Ecclesiæ observationem
(quam usserunt hi maxime, & illi ultrò sunt confessi in-
genue, nec negare adhuc possunt) calicem scilicet per rapi-
nam ablatū Ecclesiæ ut restituerent. Sed omnia frustra, tan-
quam surdis narrata fabula, ne errasse uspiam videantur.
Cum tamen errare sit humanum, Diabolicum autem in er-
rore perseverare. Perire itaq. malunt Ecclesiam, quam cede-
re veritati, Deoq. dare gloriam. Hac vere Diaboli est Syna-
goga, hoc blasphemie peccatum est in Spiritum sanctum.

120. Et quidem dubium non est, multos simplices, & alias
non malos homines apud istos non rectius institutos, ex con-
suetudine, & longo temporum usu, erroribus istis communi-
bus inuolutos, ex quibus se extricare non possunt, ex igno-
rantia cum Saulo Phariseo blasphemare: qui peccatum tamē
illud, quod non remittitur, non committunt.

121. Ceterum, nec hoc quoq. dubium est, multos in regno
Pontificio, præcipue verò qui doctrinam nostram cognoscunt,
eamq. institutis Refutationibus impugnant, veritatis luce
testimoniorumq. Sacra Scriptura perspicuitate conuictos in
conscientia, saltē tacite apud se metipso agnoscere, doctri-
nam nostram inuictam, & diuinam esse Verbi Dei verita-
tem, & cum Pharisæis fateri: Scimus Magister, quod ve-
raxes & viam Dei in veritate doces. Et tamen nihilominus

Disputatio de peccato seu

vel in animis gloriole cupiditate, vincendis studio, & sic ex ambitione, superbia & arrogantia, vel ventri causa blasphemare pergunt Spiritum sanctum.

Acto. 6. 122. Cuiusmodi fuere Antagoniste D. Stephani Protomartyris ex Scholis Hierosolymitanis, disputationes contra illum instituentes. Cumque sapientiae eius & Spiritui, qui loquebatur per ipsum, sancto, resistere non possent, falsos subornauerunt testes, qui affirmarent, se audiuisse ipsum loquentem verba blasphemata in Mosen, Deum, & locum sanctum.

Acto. 7. 123. Vnde & Pontificibus & Concilio dicit: Duraceruite, & incircumcisim cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restititis, sicut Patres vestri, ita & vos.

Isa. 21. 6. 124. Ideo Prophetæ orat: Ne dimittas eis. Item: Excaca cor populi huius & aures eius aggraua & oculos eius clade. **Iere. 18.** Et alius: Ne propitieris iniquitati eorum, ut peccatum eorum à facie tua non deleatur. Atque ita miserè perierunt blasphemati isti excacati & à Deo abiecti perpetuū.

125. Culpa ergo quod blasphemii in peccatis suis pereunt, & damnantur, non in Christum est transferenda, qui & prototius mundi peccatis satisfecit: & radiis suis Spiritus sancti verbiq; illos illustrat, ut veritatem intelligent: sed in ipsis homines blasphemos, qui abiecto timore Dei, scientes & volentes, socii Daemonum & hostes veritatis facti, tantum abest, ut eam amplectantur, & recipiant, quo saluifierent, quin blasphemare & impugnare pergant, eoque demen-

Thess. 2. tie & superbia progrediantur, ut humiliari coram Deo, veniamque ex animo & absq; dolo petere nesciant, & ita pereant omnes, qui veritati non consentiunt, sed magis delectantur iniquitate & mendacio.

126. Si qui vero humano iudicio vissunt agnitam veritatem

Blasphemia in Spiritum S.

ritatem blasphemare, postea vero conuertuntur, publicè suas blasphemias confitentes, & ex animo respiscunt: certum est hoc argumentum, ex ignorantia peccasse illos & neutiquam blasphemie in Spiritum sanctum reos fuisse, hoc est, Non agnitam illos blasphemasse veritatem.

127. Caeant itaq. sibi ab hoc peccato Doctores Pontificie Ecclesie, qui eruditione præstant, quibusq; iam per nostros illuxit veritas doctrinae cœlestis. Caeant & alii ne ita leuiter deficiant ab agnita veritate, iudiciumq; Christi metuant, ne illius feriantur sententia, Non remittetur ei. Non enim brutum est fulmen illud, aut fulgor ex pelui, quod intendit, veritatem agnitam contra conscientiam blasphemantibus, saeuissimum.

128. Sicut de Heresiarchis tota semper sensit Ecclesia, quod ad Christum nunquam amplius redeant, ut Arrius, & alii Heretici autiores, qui agnitam veritatem abiiciunt & blasphemant.

129. Loquimur autem & intelligi hæc volumus, de Doctribus & Authoribus, non de seductis, qui ab ore illorum, nutu, & autoritate dependent miseri, & ex ignorantia blasphemant. Sicut Petrus ad Iudeos dicit: Et nunc scio, Acto. 4. fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri.

130. De istis vero aliis dicit Apostolus: Hereticum hominem, post unam aut alteram admonitionem deuita, sciens, quod proprio suo iudicio condemnatus est talis. Et pro excommunicato & damnato habendum moneret.

131. Interim tamen nequaquam cum Nouatianis sentimus,
qui

Disputatio de peccato seu

qui lapsis in confessione propter persecutiones ex metu & infirmitate, agnitarunt abnegauerunt veritatem, & per paenitentiam ad Ecclesiae gremium redire, sed recipi cupiebant negauerunt. Hos recipiendos esse iudicamus. Talis enim fuit & D. Petrus.

132. Qui autem blasphemie hoc peccatum admittant, nos scire non semper possumus. Quia non sumus Kęgduyvásae, ut videamus, num agnitarum veritatem quis blasphemet, vel ex ignorantia id faciat. Sicut Apostolus Paulus de se scribit: Quod ignorans fecerit. Deo hoc est relinquendum iudicium, cuius oculos non fallent, sed in eos pro meritis animaduertet, nec remittet aut propiciabitur eis.

1. Iohann. 1. 133. Quemadmodum & Apostolus Ioannes dicit: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis. Loquitur autem de peccato blasphemie in Spiritum sanctum, de quo haec tenus ex verbis Christi dictum est.

134. Pro illo peccato non esse orandum, inquit, quia nihil impetratur, Quod, ut Christus dicit, non remittatur. Qui enim illud committunt, non reuertuntur ad Deum per paenitentiam, nec veniam illius, aut vitam eternam consequuntur, sicut haec tenus est dictum.

135. Non dicit autem Apostolus, hic vel ille peccauit ad mortem: sed de peccato loquitur ad mortem. Nam et si multi blasphemant & persequuntur veritatem: tamen non omnes illi damnantur, sed quidam conuertuntur, qui ex ignorantia id faciunt.

136. Sicut Stephanus orauit, ut Christus se lapidantibus non imputet illud. Quia nesciant quid faciant. Pro Scriptis vero, Pharisaeis & Pontificibus, qui resistebant Spiritui sancto, quod illis in os dicit, non legimus rogasse eum, sicut nec Christum, verum in illos inuestus est vehementius.

137. Oran-

Blasphemia in Spiritum S.

137. Orandum est itaq; ut Deus conuertat conuertendos, hoc est, qui ex ignorantia blasphemant & persequuntur veritatem (quorū multos esse dubium non est) & propitius misserit illorum, ignoscat ac remittat illis, quia vesciunt quid faciant, illuminet eos Spiritu suo sancto, ut ad veritatis agnationem per veniant, & saluentur.

138. Reliquos vero, qui scientes & volentes, ex malicia Diabolica, agnitam veritatem blasphemant & persequuntur, cuerat.

139. Sicut David quoq; orat: Descendant in infernum viuentes. Moses similiter precatur Dominum, ne respiciat sacrificia seditionum, qui inuadere & rapere sibi volebant Sacerdotium, & administrationem Reipub. contra Dei ordinationem. Cum ex stupendis miraculis, per ipsum & Aaronom in Aegypto, in mari rubro & deserto editis, cognouissent, diuinitus esse missos hos liberatores, Duces & Sacerdotes populi Israelitici.

140. Non sentit autem Apostolus, esse hoc peccatum sua natura irremissibile, quasi Christus illud vel non expiauerit, vel etiam resipiscienti, in Christum credenti, non posse remitti, qui dixerat antea & scripserat: Ipse est propiciatio prototius mundi peccatis.

141. Sed cum spes veniae alia sit nulla, sicut neg, hostia pro peccatis, nisi Christus, blasphemari autem hunc fide apprehendere nolint: Verum iam antea agnatum abiecerint, blasphemant & persequantur: non potest pro eis orari, ut Deus misserit illorum, remittat eis peccata, & saluet eos absq; Christo, aut potius contra illum, quod absurdum esset.

142. Quod si haec, que ex verbis Christi saluatoris, de peccato blasphemiae in Spiritum sanctum dicta sunt a nobis & scripta, quod non remittatur, alicui non satisfaciant, illi

E respon-

Disputatio de peccato seu

respondemus cum Apostolo: *O homo quis tu es, ut responses Deo? Et iterum: O altitudinem diuinitarū sapientie & scientia Dei, quām inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles via eius, &c.* Non autem eo scribuntur animo, ut ad desperationem miseri adigantur peccatores, veniam suorum desperantes delictorum, *Quemadmodū Cain, Iudas, & alijs.*

143. *Magna enim voce, & ex conscientia testificamur, totoq; corde credimus & docemus, quod iam aliquoties est dictum, & repetitum, volumus Dominum nostrum Iesum Christum, Salvatorem nostrum dulcissimum, Agnum esse illum Dei, qui tollit peccata mundi, proq; totius illius peccatis omnibus, quocunq; appellantur nomine, nullo excepto, satisfecisse, ut pénitentibus & credentibus in ipsum, omnia condonentur peccata: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.*

144. *Quæ doctrina & consolatio omnibus ex aequo est proposita. Venit enim Christus querere & saluare, quod perierat. Qui etiam ad se vocat omnes laborantes, & mole peccatorum oppressos, recreationem & liberationem ab onere peccati promittens.*

145. *Certum est igitur omnes, qui agnitis suis peccatis, vera animi fiducia ad Deum per Mediatorem & propiciatorem Christum confugint, veniam suorū delictorum omnīū consequi, cuius rei plurima extant in Sacra Scriptura testimonia luculentissima.*

146. *Quare qui corde sunt contrito, & scintillam adhuc fidei habent, non putent se peccatum illud in Spiritum sanctum irremissibile habere aut commisso, sed erigant se promissionibus Euangeliij de Christo, eiusq; merito & beneficijs, quæ offert omnibus in Euangeliō fide accipienda.*

147. *Sed hoc à nobis suscepta est consilio hæc disputatio,*
ut ma-

Blasphemia in Spiritum S.

ut materia obscura & difficilis, quae hactenus a paucis dexterè & sufficienter explicata est, ex Scripturarum Sacrarum collatione erueretur & illustraretur: Et conscientia pauidæ, quæ audiunt, peccatum in Spiritum sanctum non remitti, ignorantes quid & quale illud sit, agnitione peccatorum suorum perterfactæ, metuunt, ne eius rea sint, ideoq; nullam admittunt consolationem, quod de se actum existiment, rectius instituta, in peccatis suis, & propter ea, non desperent: Sed auditis consolationibus Verbi Dei & promissionibus Euangeli de beneficiis Christi dulcissimis, se erigant, consolentur & saluentur. Contra vero, quibus lux Euangeli affulgit, ut inde agnoscant & videant veritatem, non obdurent corda sua, nec cum Deo & veritate contra conscientiam pugnent, sed dent Deo verboq; eius gloriam veritatis, nec petulanter resistant Spiritui sancto, sicut fecerunt Scribe & Pharisei, ne idem experiantur iudicium, quod illi.

148. Cauenda sunt igitur peccata quidem omnia: Quis enim peccatum facit, hoc est, sceleratè & flagitosè vivit, ex Diabolo est, tum vero imprimis, ne Christum & agnitam veritatem quis abneget, multo vero minus ex infirmitate abnegatam, blasphemet, aut persequatur: Sed ab hoc sedulò sibi omnes caueant. Quod tamen, proh dolor, postremo hoc mundi tempore, nimis est frequens.

149. Vbi autem ex infirmitate humana Diaboliq; impulsu peccatum fuerit, in peccatis non perseverandum, sed per paenitentiam veram ad Deum redeundum, & fructus paenitentia dignificandi.

150. Hoc enim modo fiet, ut non solum peccatorum remissionem omniū: sed per eundem Christum Dominum nostrū, vitam aeternam, quam ipse meritus est, & gratias omnibus in le credentibus donat, per fidem in ipsum consequamur,

Roms. 6.

A M E N.

Syricius Papa Dist. 28. c. plurimos.

Dicit mihi, quisquis ille est sectator libidinū, Preceptor vitorum (loquitur autem Papa non descortatione sed coniugali consuetudine Sacerdotum cum propriis uxoribus, & addit) nouerint se nunquam posse veneranda tractare mysteria, à quibus se ipsi, dum obscuris cupiditatibus inhibant, priuauerunt.

c. quia aliquan-
ti Dist. 82.

Si quis Episcopus, Presbyter aut Diaconus fuerit in coniugali consuetudine inuentus, omnem sibi per nos indulgentia aditum intelligat obseratum. Quia ferro necesse est, ut abscindantur vulnera: quæfomentorum non sentiunt Medicinam.

Idem Epistola 4. Num. 9.

c. proposuisti
dist. 82.

Praterea, quod dignum, & pulchrum, & honestum, suademos, ut Sacerdotes & Leuitæ cum uxoribus suis non cocant. Quia in ministerio diuino quotidianis necessitatibus occupantur. Sed fortasè hoc licere credit: Quia scriptum est, unius uxoris maritum? Non permanentem in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram. Neg, enim integros nō admisit, qui ait: vellem omnes esse sic, O acutū Theos, sicut & ego sum. Quod & operibus declarauit dicens: Qui logum, & Scripturam & S. inter præterem solertia munum.

autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu. Et habentem filios dixit, Non generantem.

F I N I S .